



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Tridens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A uniuersali oppressorum exitio agri sint euericulati. Fiebat autem euericulatio in hunc modum. Viri manus sibi mutuo tenentes, quasi restim unam texunt, occupatisque terræ, quam desolatam uolunt extremis finibus, ita late extensi progrediuntur, latentesque passim incolas venando excipiunt, nihilque reliqui faciunt, quoque uersum peragrantes. Quod olim exemplum à Darianis militibus editum in Chio, Lesbo, Tenedoque infulis vi captis, atque euericulatis. Eretrienles quoque legas à militibus Xerxis eadem euericulatioe omnes abductos.

*Eretrienles  
latis.*

DE HAMO. CAP. XXX.

Habet Hamus cum Anchora similitudinem quamdam, si figuram inspectes. Sed quantum est in Anchora officii, tantum in hamo malignitatis atque perfidiæ: quæ cujusmodi sit, hinc apparebit.

*Hinc inescia  
re pro deci-  
pere. Teren-  
tius in A-  
delphis.*

DECEPTIO. CAP. XXXI.

B Sunt qui non imperite, neque improprie, deceptionem per hamum pictum significari tradant: siquidem decipere, est unum ostentare, & aliud præter opinionem inferre. Ita hamus escam esurienti offerre porrigereque uidetur, saturitatemque polliceri, mox apprehendit, alligatque, & captiuum facit eum, qui escam illam appetierit. Hoc habemus apud Horatium de cœnipeta:

*Epistolarum  
Lib. 1. ep. 7.*

— Hic ubi sepe

*Occlum visus decurrere piscis ad hamum.*

Et hunc secutus Lucianus eo opusculo, quod in Romanam inuidiam de Aulicorum vita conscripsit, in hac plurimum similitudine immoratur, dum spes illas clientium, qui admissi ad Principum amicitias montes statim aureos sibi pollicentur, hami istiusmodi vorationi similes esse contendit. Et de Ienone in fraudem prolabente, *Meus est, hamum vomit*, apud Plautum. Longe uero aliter in Divinis literis hamum accipi uideas, per quem sanctissimum Christi corpus significatur, de quo apud Ezechielem Theologi dictum ajunt: *Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campos implebis, & à uolucris omnibus impeteris, perindeque omnes terra bestias tuo pastu saturabo.* Sicuti enim si hamum esca coopertum piscis rapiat, non solum escam ab hamo non sustollit, sed ipse de profundo esca aliis futurus educitur: ita mundi Princeps, penes quem erat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Adamiaci JESU, cum sub eo hamum diuinitatis inclusum minime sentiret, quo devorato hæsit ipse continuo, de quo profundo tractus, eductus est, ut esca fieret iis, quibus calcandi super Serpentes & Scorpiones potestas à Deo data fuerat. Idem apud Jobum 40. capite reperias: *Aut adduces Draconem in hamo, aut capistrum circa naves ejus appones.*

*In Bacch.*

*Christi cor-  
pus per ha-  
mum.  
Ezech. 32.*

DE TRIDENTE. CAP. XXXII.

ET Tridentis inter piscationis arma connumeratur, sed cum hamo parum congruit.

APERTA VIS. CAP. XXXIII.

D Hamus enim per fallaciam quicquid acquirit aucupatur, sed tridens aperto Marte, medio ueluti campo aduenientem hostem accipiens, eum aggreditur, solaque fretus agilitate, conficit. Sed quid is in Neptuni manu, quid in Træzeniorum numis, & in Mantineensium scutis sibi uellet, alio Commentario docuimus. Hæc uero plus quam satis esse, quæ ad occupatissimum virum, & otii bescium mitterentur, existimavi, Vale.

JOAN.